

Sammlung



26
I E H O V A,
SCUTUM ET CLYPEUS

Illustris & Generosa Domus Mansfeldica.

In

REDITUM EXOPTATISSIMUM

ILLUSTRIS ET GE-
NEROSI COMITIS AC DOMINI,
Dn. DAVIDIS, COMITIS IN MANSFELD, NO-
bilis: DYNASTAE in Heldrungen, DOMINI in
Schraplavv & Seeburgk, &c. Ab Inclyto Nu-
ptiali SOLENNI felicissimè revertentis,

C V M

INCLYTA ET GENEROSA
COMITE ET CONIVGE, Dn: IV-
LIANA MARIA, Comite in Mansfeld, Inclyta
Heroide in Heldrungen, Schraplavv
& Seeburgk:

INCLYTI ET GENEROSISSIMI DOMINI,
Dn. HENRICI RUTHENI, Junioris, Dn à PLAVVEN,
Dn. in Grätz, Cranchfeld, Schlaitz & Lo-
benstein, Dilecta & Generosa
FILIA.

ANNO M. DC. XIV.

Islebij, Imprimebat Jacobus Gubisius.





EXpectate redis **COMITI COMES** addite divæ:
Conjugis huc **COMITIS** lætus adesto **COMES**
Cumq; tua ô Heros Generosa Heroide vestram
Hæredes, Proavûm prosperi adite domum.
Cumq; resignaris **COMITI COMES** Inclytus oram:
Felices vestrâ pōnite in Arce pedes
Ortus, ut optatum est, Domui Mansfeldidi solis,
Lætior Eveutu prosperiore nitet.
Ignis enim antiquat Luctus, aboletq; novellus,
Et meliora movet Gaudia, vivus Amor
Davidi nupsit nam Iuno Ruthena Dynastæ
Et Mansfeldiaco Virgo Narisca duci.
Si quid Acidaliâ castè veneraris honoram:
Quod potes, Excelso, succine Musa, Toro.
Conjugi felix ô Par Illustre secundi
Quâ Genus, atq; ignes stemmaq; grande domus
Namq; triumphales ut virtus erigit arcus,
Aurea sic eadem dux in Amore pari est.
Davidis virtus fuit obversata Ruthenæ;
Laus Mansfeldiacæ Luxq; corusca domus
Germano satis Hic **SANGVIS** celebratus in orbe.
Missum per Fortes stemma tuetur Avos

A 2

Testis

Testis erit clypeus textum tam Nobile clarus :
In quo Virtutis tot documenta nitent,
Symbola Magnanimas quot habet testantia pugnas
Dignaque Principibus Facta togata Viris
Certè in eo lucent *INSIGNIA* regibus æqua
Lætaque Cæsareo splendida honore micant
Nam claram insinuant Majestatemque verendam,
Ut teneat dignum Laude quod esse queat.
Quin Mansfeldiacis cedant insignibus Arma:
Et Toga concedat, si quid ab Arte valet.
Hæc propria ostendunt partes Insignia laudes:
Et satis Heroes testificantur Avos
Nec tamen Illustri famæ incubuere Nepotes:
Extendit Laudes longa Propago tuas,
Ut sint expletæ partes Virtutibus omnes:
Ut vix posteritas altius ire queat.
Hæc salve Generosa Domus, fortissime Sanguis
Extendat laudes Gloria Honorque tuas
Regia Cæsareo retulisti Insignia jussu:
Hæc Mansfeldiaci Sanguinis Acta probant
Talia Cordati tantum Spolia ampla reportant:
Et raro Ignavis More tributa leges.
Aspice terribilem cristato vertice Gryphem
Vngula ut audaces munit acuta toros.
Robur enim Comitum Pectus circumdat & auget,
Et Cor propositi cernitur esse tenax.
Nam quod consilio visum pertendit & urget,
Conjurat Prudens vis; Animusque sibi.
Sicut utrumque latus properis incingitur Alis
Ante quibus poteris veteri & ire Notum

Fortia

Fortia sic poscunt celeres & Bella volatus:
Prælia festini Martis & Artis egent.
Non animus tantum, properatus & efficit ardor
Res magnas: multum quin stratagemata valet
Ardua nam tardi moliminis inscia virtus,
Abrumpit lentas progrediendo moras.
Vix bellum primis Germania gessit ab annis:
Classica vicinis vix sonuere locis
Pars Mansfeldiacus rerum fuit optima sanguis:
Non dubitans celsam Martis adire viam
Gallia me tacito pugnax & Belgia testis:
Semper & hoc famæ Nobile dicet opus
O Mansfeldiacæ clarissima Gloria Gentis
Poneris illustri conspicienda loco.

A Spice, vexillis horrent hastilia Sanctis:
Et spirant acie Martia bella sua.
Sunt ea sunt hosti spolia abjurata, vel Arma,
Nobile pugnantis Militiæq; decus
Quin in procinctu bellant erecta sub auras:
Nec Mansfeldiacus concidit ille vigor.
Audet adhuc etiam sese committere pugnæ
Et pia Fortis adhuc expedit Arma Domus
Tale triumphales currus insigne lacepsit
Et posset statuas Roma præire tuas
Parvo, credideris, non hæc vexilla steterunt,
Sed Mansfeldiaco parta cruore vident
Dum vexilla micant bellumq; erecta loquuntur:
Hic longo ætatem tempore vivet Honos.

Victoresq; canet Comites Mansfeldidis oræ:
Veraq; Teutonicæ Gloria gentis erunt:
Ista reportarunt quoties Insignia palmam
Hostiles quoties comminuere Manus:
Et toties Comites decoravit Adorea nostros
Victrixq; Illustris laus celebrata Domum.

MAjestate vides Aquilam fulgente tremendam:
Hoc Mansfeldiacum non sine more decus
Regia nam virtus Aquilæ est, & hellicus ardor.
Nomen & Imperij vim columenq; notat.
Æmula Cæsareæ Domus & Mansfeldica Mentis,
Imperij meruit Maximus esse Comes.
Indecor imperio nunquam, sed florida bello
Virtus, est inter connumerata Duces.
Acta quod Imperio, mentemq; probaret, & ipsa,
Cum Re, consilium cum Pietate fidem.
Nisiq; Teutonico pro Regno heroicè in armis
Invenit factis digna trophæa suis.
Dexteritas aberat nunquam fortissima cæptis
Eminuit victrix quâq; ferebat iter
Anne pudere domus *AQVILAM* Mansfeldidis acrem
Fas erit: haud credas est *AQVILÆ ILLA* decus:
Nec manus imperij est acie congressus aperta
Maxima conflictus pars fuit illa Domus
Instar enim hæc Aquilæ bellacis in arma patebat
Bellaq; conseruit, Pacis amore pia.
Teutonico Domus hæc semper fidissima Regno
Ut meret, æternum vivat honora, precor

Quin

Quin defendit eam Generis stirpisq̄ vetustas
Nam Genus antiquum Teutonum ora tulit.

MANNVS enim stirpis Pater est atq̄ ultimus autor

MANNVS Teutonici Conditor ille soli

Ille parem liquit virtute Tuiscona Natum:

Vivit & in sero Tuisco Nepote suo.

MANNVS is hunc strictum tenuit, tractumq̄ Metallum,

Terminus & Manniterra vocata fuit:

Tractus & obtinuit claros virtute minores.

MANNVS & in sera Posteritate viget.

Salve antiqua Domus, Sanguis Germaneq̄ salve:

Spes Generis salve David Honora Comes.

Mascula Germanæ maneat Tu Gloria Gentis:

Ei flore cæptis Consilijq̄ tuis.

TAli nupta Viro, Comiti sociataq̄ tanto
Exultare animo Casta Ruthena potes:

Nobiliore jugo nunquam commissa nitere;

Tu modo virtuti luno Ruthena fave.

Quamlibet & Patrio genitivo Agnomine clares

Claræq̄ virtutum Luce decora micat

Nam quotus est qui non audivit fando Ruthenos

Martis & Ingenij dexteritate **VIROS**:

Attamen accedit Generi Laus ardua tanto:

Dum Mansfeldiaco nubis Amata Duci.

Crescit enim geminatus Honos, & splendor adauctus

Affluet eximij, provenietq̄ Bonis.

Felicem placito quod non pugnaveris Igni.

Pectoris extinctas noluerisq̄ faces

A 4

Vivit

Vivat & æternùm flammis exuberet altis
Hic amor, hic animus luno Ruthena tuus.
Aspice Conjugio quæ surgat Gloria vestro:
Et Patria adventu jubilat ipsa tuo.
Exoptata venis, votisq; perita profundis,
Tu Patriæ Mater, Tu Generosa Comes
Quin Manibus me sponte tuis, juriq; religno
Tu quæres fructus commoda vera mei,
Nuper ut indolui letho mihi Matre perempta,
Sic mihi Lætitiæ Causa caputq; Meæ es,
Ingressuq; tuo verè gavisa revixi.
Vivit ut affuso vena resecta mero.
Libera nunc curis vaniq; erepta timore:
Continuo hæredes ordine cerne meos.
Ingredere adventu Comes Inclyta & optima fausto
Det Deus accessu læter ut usq; tuo.
Nec te poeniteat nostro subsidere tractu
Mansfeldis nulli cedere terra volet,
Dotibus illa suis vel quasvis provocat oras:
Huic totam indulsit se Deus Autor Humo.
Deficit in nullo, vitæ quod postulat usus
Quaq; Animum & Corpus dives abundat opum.
Huic quoq; Davidem Comitem, justumq; Dynastam
Debes; an nostra gratior esset humus?
Quanta sit illius virtus, quod Mentis acumen
Prætereo; meritis nostra per ora volat.
Hunc æquo tecum partiri limite curas
Gaudeo, subsilient compita, Tempia, Domus.
Et ne quid dubites clypei modò consule textum.
Nam Mansfeldiacos ille re narrat Avos.

Dicit

Dicit & antiquæ Genitiva agnomina stirpis
 Et Comitem claro de Genitore satum.
 Si nescis, liquidi prælustre bractea Viri
 Sit tibi Davidicæ Gloria vera domus,
 Quin notat & Comitem nostrum candore serenum
 Esse, nec occultos neſtere Corde dolos,
 Sanguinis illud habet Germani; neſcius ille eſt
 Obscura inſidias texere nocte vaſtras,
 Quicquid agit, probat id, patet id præluſtre ſub aſtra.
 Quodq; pium & verè fas, id apertus agit
 O Virtus noſtro certè rariffima ſeclo
 Hoc mihi Davidicum præſtat honore decus
 Mannus enim Gravitate ſui candoris Avitus
 Davidi in Comiti vivit, agitq; Viro
 Maſcula nam Proles Germanis ſanguinis ille:
 Acta vel id Vitro candidiora probant.
 Limpida Marmorei pellucet lamina Vitri:
 Pectoris et nitidi lactea ſenſa docet.
 Indicat atq; animos facili Comitatu coruſcos:
 Hac ſibi quod laudem commeruere duces &
 Illâ namq; Deum Princeps accedit ad ipſum:
 Clarus in excelſo conſpiciturq; Loco,
 Hac David virtute COMES Generoſus in umbrat
 Heroes inter, Nomina quotquot habent.
 Namq; velut ſuaves Hortus commiſcet odores:
 Floribus Areolas conditus arte ſuas.
 Ut reſonat dulces Concors Symphonia cantus
 Ut placet artiſtici pollice tacta Fides.
 Sic quoq; mirificum decus eſt & amabile, Virtus
 Strenua quæ ſenſu temperat Acta Comi.

A 5

Leniter

Leniter & Iuris rectam moderatur amussim
Cum Rigor est facilem doctus in jreviam.
Qui facili duras moderante gubernat Habenas
Personam Superi Principis ille refert.

INclyta DAVIDEM COMITEM Moderatio laudat
Inter & Heroas Nomina magna tenet,
Gloriam & Illustrem laudem post fata manentem
Hæc ipsi Virtus Regia jure dabit
Sicut enim ingreditur Sol alto lenior Axe
Productoque solet tardior jre gradu.
Sic COMES irarum lentas immittit habenas
Ingemit & quoties cogitur esse ferox.
Comonet hoc Clypeus Clypei que hoc symbola mon
Idque Leonum Animi Nobilis Ira docet. (strant:
Abstinet à miseris truculenta Leunculus Arma:
Fortiter hostiles sternit agitque Manus,
Auditque valent distinctæ Gryphis ut Aures
Sic Dux discreta suscipit aure preces:
Luminaque Heroes Aquilina imitantur acuti
Et ne quid noceat vis inimica, vident
Prospicit & COMITIS DAVIDIS acumen in Annos,
Colligit Eventus multiplicesque Rei.
Contiguaque trabis ceu contignatio fulcit,
Pondera Magnificas corruiura Domos.

Sic

Sic Pater es Patriæ Conservatorq; colendus
O DAVID Patriam Docte juvare tuam.
Et quasi pœniteat Meritorum, pluribus instas
Vivis, & ut Celsus stas Cataphractus Eques:
Vibrat in immanem ceu tela Georgius hydram:
Et pro Virginea bella salute gerit.
Convenit esse manus munitas Principis Armis,
Ut terram sævo liberet hoste suam.
Dictus at Excellens Heros à rure colendo:
Et placidum pacem Nomen Amantis habet.
Ut Pax Arva colit, sic Bellum dissipat Agros:
Pacifico crescit Principe cultus Agri:
Acer ut in Bellis, sic gaudet tempore Pacis
Oro Tuum cingat Pacis oliva CAPUT.
Virgo Dei plebs est; hanc diruit hæresis arte
Hanc fera præcipitem Truxq; Tyrannus agit.
Illa Magistratus cura resecanda fideli.
Et Christi toto Corde tuendus Honos,
Aut hæc aut nulla est virtus Heroica certè:
Quæ Mansfeldiecam tollit ad astra Domum,
Sic placuere Deo Clarissima Lumina Reges.
Dignus & est illo DAVID Honore COMES.
O Generose COMES flore, COMES InclYTE vive
Atq; tua constans in Pietate vige.

Nam

Nam Contortores Scripturæ totus abhorres :
Et sunt Deliciæ templa Scholæq; Tuæ.
Vtq; Alij ambigui gaudent sin unamine sensus :
Davidicæ ingrederis simplicitatis iter.
O Generose Heros Comes Inclyte & optime salve.
Subjectis Felix vive Dynasta tuis.
Motibus & creperis cum turbidus æstuet orbis
Sic scutum & clypeus, Luxq; IHOVA Tua.



F I N I S.

99 A 6908

ULB Halle 3
002 927 25X



Handwritten initials: JB

Retro 1

VDA 17





Farbkarte #13

B.I.G.



A.
CLYPEUS
as Mansfeldicæ.

TATISSIMUM
S ET GE-
S AC DOMINI,
IN MANSFELD, No-
rungen, DOMINI in
Kc. Ab Inclyto Nu-
mè revertentis.

GENEROUSA
IVGE, Dn: IV.
n Mansfeld, Inclyta
en, Schraplavv
gk:

OSISSIMI DOMINI,
ioris, Dn à PLAVVEN,
ld, Schlaitz & Lo-
& Generosa

A.
DC. XIV.
us Gubisius.

